



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

XIV. Christus Bellator, & victor.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79582](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79582)

Dei, lumen omnium, & gloriam ipsius Israël, & pacem & refrigerium eorum, qui in dormitionem ierunt. Iam enim expoliabat homines, auferens ignorantiam ipsorum; suam autem agnitionem eis donans, & dispartitionem faciens eorum qui cognoscebant eum, quemadmodum Esaias, *Voca, inquit, nomen eius, Veleriter spolia (celeriter) dispartire.* Hæc sunt autem opera Christi. Ipse igitur erat Christus, quem portans Simeon benedixit Altissimum: quem Pastores cum vidissent, glorificant Deum; quem Ioannes, cum adhuc in ventre matris suæ esset, & ille in vulva Mariæ, Dominum cognoscens, exultans salutabat. Quem Magi videntes, & adorantes, & afferentes munera quæ prædiximus, & subternentes semetipsos æterno Regi, per alteram abierunt viam: non iam per Assyriorum reuerentes viam. *Præquam enim cognosceret puer vocare patrem aut matrem, accipiet virtutem Damasci, & spolia Samariae, contra Regem Assyriorum.* Occultè quidem, sed potenter omnia manifestans, quoniam occulta manu expugnabat Dominus Amalech; propter hoc & pueros eripiebat, qui erant in domo Dauid, bene sortiti illo tempore nati, ut eos præmitteret in suum regnum, ipse infans cum esset, infantes hominum Martyres parans.]

Quas hostium strages procedente ætate fecerit, quantas ipsemet inimicas acies fuderit & tandem quomodo Principem hostium manu sua cruci confixerit, dicendum infra est; ubi ostendemus, in ea ipsa cruce in qua Christus confixus est, pependisse confixum cum eo Satanam, sicque triumphasse eum in semetipso, ut dixit Apostolus. Ethnicismum radicis extirpavit, Iudaismum euerit. Ipse enim est Dux ille venturus, quem Daniel, civitatem & sanctum funditus deleturum prænnunciavit, ut accurate prosequitur Isidorus Pelus. lib. 3. Episto. 257. Ipse peccati phalanges omnes destruxit, bellator strenuus & fortis, à iuventute & pueritia, per universam vitam. Tota enim vita ipsius ad extremum usque spiritum, irrequieta, & bellis ac præliis iugibus exercita fuit.

Christi armatura.

1132. Atina eius, ut Driedo de captiv. & Redempt. generis hum. Tract. 2. cap. 2. 1. p. membro 2. late prosequitur, varia in Scripturis recensentur; nempe hinc caro & anima, variæ membra eius; inde paupertas, humilitas, patientia; præterea clavi, crux, & cætera passionis instrumenta, ut verè videns nova bella elegisse Dominum, sic se ad prælium armantem, & per gladium non viri, & gladium non hominis, vocantem Assur, ut prænnunciavit Isaias cap. 37. Nec est quod quis in eius armatura fallatur. Videtur enim integer & inermis fuisse, quia externam armaturam non præferebat. Sed ætemea in parte insignem, in summo hoc bellatore detexit Petrus Damiani Opusc. ultimo cap. 8. & hisce verbis serm. de S. Columba. [Enim verò sæculi huius homines, qui bellorum ambiunt virtute clarescere, qui per ora vulgi suas optant victorias celebrari, cum ingressuri sunt prælium; in corpore suo, quod infirmum est & molle subiciunt; quod durum est, atque ad penetrandum difficile, superponunt. Lotcis quippe se ferreis induunt, & carnem, quæ facile

cedit ictui, custodire contendunt, ut illud durum, ac fortè, quod fortis est, defendat molle quod est. Redemptor noster, cum huius mundi campum pugnaturus ingreditur, cum ad belandas aëris huius nequicias fortis præliator armatur, quia novum debebat instruere prælium, novum induit genus armorum; videlicet ut quod infirmum est superponeret, & quod robustum est, occultaret. Loticam siquidem imbecillæ carnis induit, & insuperabilem Diinitatis fortitudinem occultavit.] Non dissimili vestitus ratione, quàm qua Erasimus lib. 3. de ratione concionandi pag. 155. Robertum de Licio, Ordinis S. Francisci, usum aliquando scribit. Principes ille ac populum adhortabatur adversus Turcas. Vbi ad summum impetum efferebisset oratio, deplorare cepit, quod nulli se ad rem tam piam duces offerrent. Si istud (inquit,) obstat, ecce me, qui nihil verebor, abiecta hac veste, vel militem, vel ducem vobis exhibete. Simulque cum dicto, summam vestem abiicit. Intus planè miles erat, byssino sago, accinctus prælongo gladio. Hoc habitu dimidium horæ, sub persona ducis concionatus est.

Bella antiqua, typi bellorum Christi.

1133. Sic armatus Christus, prælia Domini præliatus est; non carnalia, qualia commentum sunt de suo Messia Hebræi, referente & ferè frustra resellente Barradio Tomo 1. Concor. lib. 2. cap. 14. sed spiritualia; quorum typi fuerunt omnia bella Patriarcharum, Ducum, & Regum populi Israël, ut rectè philosophatur Driedo de captiv. & redemp. generis humani Tract. 2. cap. 2. p. 1. memb. 3. distine. 3. Lex enim spiritualis est; non quoad illam duntaxat partem quæ factos ritus præscribit, sed etiam quoad historias & gesta Hebræorum adversus gentes: atque adeo etiam quoad prælia quæ Spiritus sanctus extrare voluit in libris sacris, tanquam signa prophetica bellorum per Christum & Christi Ecclesiam gerendorum. Et idcirco interdum, præca illa & typica bella, vocantur *bella Domini, & bella iustorum.*

Eiusmodi fuit bellum Abraham contra Pentadem Regum Gen. 14. Nam S. Chrysostomus in Psal. 2. illud bellum ad Christum transfert. Similiter varia bella sub Mose gesta, typi erant bellorum Christi, iudice Prospero de promiss. p. 1. cap. 40. Bella Iosue, omnium consensu, figuræ erant bellorum Christi & ita frequentissimè Origenes in Iosue; nominatim hom. 12. & 13. & Prosper 2. p. de promiss. à cap. 14. De bello Gedonis contra Madiam, multi Patres aperte docent fuisse prælii Christi figuram. Optime S. Greg. 30. Moral. cap. 32. & 34. alias cap. 17. Petrus Damiani serm. 68. Et ut Patres id tacuissent, expressè id docet Isaias cap. 9. verbis illis. *Letabuntur coram te sicut qui letantur in messe, sicut exultant viatores capta præda, quando dividunt spolia. Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madiam. Quia omnis violentia prædatio cum tumultu, & vestimentum missum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis. Parvulus enim natus est nobis & filius datus est nobis. Sensus est; iugum Diaboli quo populus onerabatur, & virgam exactoris, siue crudelissimi illius Publicani qua premebatur plebs.*

GGGg 3 Dei,

Dei, contrita fuisse, bellante Messia ea forma & ratione bellandi, qua olim Gedeon, sine cruore suo aut suorum, in exercitu lagenis tantum armato, & exterius inermi, superauerat Madianitas. Sic enim Christum paruulum, absque violenta praedicatione, & tumultu, subactorum spirituali praedio hostes nostros, tradit Prophetas. De Davidis praedio cum Goliath, quod typus fuerit pugnae Christi cum Satana, tradunt Patrum plerique; & nominatim Augustinus sermon. 197. de tempor. Alio tamen, hoc est ad Christiani cum Satana & vitiis praedium, rem hanc totam transfert S. Bernardus serm. de Dom. 4. post Pentec. Quod item praedium Davidis cum Amalecitis fuerit typus pugnae Christi, perpulchre monstrat Origenes hom. 19. in Num. *sub medium*. Quare perspicuum est quatenus bellator sit Christus abscondita licet fortitudine, & occultato de industria robore, bellans.

Fabulosa eorumdem Christi bellorum adumbratio, ex Manichaeis.

1134 Hæc fortitudinis occultatio, stragemata fuit, quod Christum effecit victorem. Idque expretum merito dixerim, in commenro planè infano Manichæorum quod retuli agens de Verbo inumbrato & tenebrato, sæpèque attingit S. Augustinus Tomo. 6. Et pulchre etiam in Psalm. 140. ad illud, *& non communicabo cum electis eorum*, Et valde appositè ad hunc locum lib. de Agone Christiano c. 4. itémque S. Athanasius serm. contra omnes hæreses, *sub medium* sed fuscè S. Damascenus Dialo. contra Manichæos *ferè initio*. [Bonus (inquit) in loco suo, in omni bonitate ac beatitudine versabatur. Materiam autem, hoc est malum, per multa seculaneque vitæ, nec motus particeps fuit, sed sceda ac deformis caligo, & sensus expers. Postea autem materia, secum ipsa seditionem exercuit, ipsū quæ fructus praedio inter se decertarunt. Cūque alij fugerent, alij insequerentur; ad lucis fines peruenerunt, eamque conspicientes, pulchritudinis ipsius cupiditate capti sunt, pugnamque inter se finem fecerunt: consentientibusque animis, lucem adorti instituerunt. Quamobrem cum bonus ille, potestatem luci subdicio misisset, conferto praedio, tenebrarum principes lucis partem comederunt. Bonus quippe potestatem illam sibi eripi passus est: illud scilicet veritas, ne loco suo illi potirentur. Hoc autem ea ratione fecit, ut per eam partem, quam tradiderat, imperium in malum obtineret.] Expēdit particulatim reliquo Dialogo, omnia prædicta S. Damascenus; illudque nominatim quod aiebant hi vesani, Deum factum esse victorem gentis tenebrarum, permissa clade vnius partis suæ, eiusque obtenebratione, in commixtione cum corpore.

Quod ex Ethnicorum fabulis fecisse Scripturam, prodit Greg. Nyssenus hom. 9. in Cant. eam nimirum citra pudorem meminisse eiusmodi fabulamentorum; usurpari hoc item loco, circa Manichæorum delicia potest, ad illustrandam veritatem in qua versamur. Verè ergo Deus, de gente tenebrarum, de Satana inquam, & spiritualibus nequitia in cælestibus, & subsidiariis eorum copiis, peccato & morti succenturiatis, reportauit victoriam: quia permisit par-

tem sui, (mollienda est vocis huius durities, & exigenda ad amussim Catholica veritatis) personam scilicet vnam augustissimæ Triadis, commisceri; id est iuxta multorum Patrum phrasim, coniungi corpori tenebroso, & ibi tenebrosam degere ac ingloriam, satisfaciendo & patiendo pro nobis; non versando in luce, nec splendendo propter iuxta diuinitatis suæ naturam iubar debebat. Monstremus obiter de tribus illis inimicis nostris quos dixi, nimirum gēte tenebrarum, eiusque subsidiariis, peccato, & morte, quomodo singuli, in hoc praedio, sunt per lucem Verbi tenebris nostris admixtam, prostrati atque contriti; partaque de omnibus victoriis vel potius prodigia ut loqui nos vult S. Chrysostomus in Psalm. 45.

Victoria Christi de hostium nostrorum Triade, ac primū de Satana.

1135 In primis de Satana per Christum subacto, eiusque viribus accisis, splendide philosophatur Eusebius orat. de Laudibus Constantini. Vbi præmissis victoriis Constantino concessis à Christo, contra varios Barbaros, subdit. [Victoriam quinetiam contra Dæmones, quod est aliud Barbarorum genus, reportauit. Etenim cum duplex in nobis infira sit natura, altera animi ab era corporis, & hoc ab omnibus visum, ille ab oculis penitus remotus in hi deo contrarii Barbarorum genera, eamque nobis admodum infesta, posita sunt: quorum alterum ex occulto alterum aperte nos oppugnat; atque alterum corpora corporibus obiectat, alterum armis omni generis, corporis expertibus, animi hominū nudum & inermem obidet. Porro autem Barbari li qui oculis cernuntur, velut pastores quidam feri & agrestes, qui nihil à bellis differunt, in ciuitates hominum greges impetum faciunt, vastant agros, & tanquam immanes lupi, e solitudine in ciuitates eiusque ciuitatis irruentes, in ciuitates in sermone redigunt, ad extremum omnia quæ possunt libescunt, perimuntque. Infesti autem & animorum corruptores Dæmones, qui sub aspectu minimè subiciuntur, quique omnibus Barbaris sunt multo crudeliores.] Exeruit in mala innumera quæ Barbari isti inuisibiles mundo intulerant; & quomodo eorum vires sint per Christum comminutæ, egregie prosequitur.

Aded sanè enigmat per Christum Satanae potentia, ut qui ante leo potentissimus videbatur, degenerat in vulpeculam ut illustissime philosophatur Gregorius Nyssenus homil. 5. in Cant. ad illud, *capite nobis vulpes paruas*. Negat autem posse se satis suspicere, miraculum diuinæ magnitudinis in his paucis verbis abditum. Quæ enigm & quanta erat Satanae ins & potentia? Quis & quam potens Tyrannus iste, ante Christum? Quam ridiculus verò factus est, & quod vires eius per Christum deductæ? [Homicida qui potens est in malitia, cuius lingua tanquam nouacula acuta, de quo dicit Prophetas, *Sagitta potentis acuta, cum carbonibus deflatores*; &c. *Insidiatur tanquam leo in spelunca sua, Draco ille magnus, Apostata infernus, dilatans os suum, rector huius mundana potestatis tenebrarum; qui habet imperium mortis*; & quæcumque ex persona eius narrat Prophetas, *Qui auferit terminos gentium, quos confregistis*, nempe

nempe Altissimus, pro numero Angelorum suorum; Qui comprehendit orbem terra sicut nidum, & eam tollit tanquam ova derelicta: Qui dicit se positurum thronum suum super nubes, & futurum similem Altissimo; & quaecumque Scriptura de eo persequitur in lob, quæ planè sunt terribilia; cuius latera quidem sunt aenea, aurum autem fuisse spina; inextincta autem lapide smyrina; & quaecumque sunt huiusmodi, per quæ terribilem illam naturam describit Scriptura. Hic ergo talis & tantus Imperator legionum Daemonum, quemadmodum à vera & sola potestate nominatur? *Parna vulpes*; & omnes qui eum circumstant, & vinctus qui est sub eius potestate exercitus, omnes ex æquo despectui habiti, nominantur *vulpes*, ab eo qui incitat venatores ad eos venandos. Hoc mox tribuit Regi gloriæ Christo, cuius venatores factos, vocat Angelos, & Apostolos.

1136 Cogitur nunc ad æstus & dolos veri, qui prius aperta iv irruerat, sed eam rabi dum innexuit Christus, & vinxit catenis, ut mordere non possit nisi volentem, etiamsi sollicitate & latrare possit, ut D. Augustinus serm. 196. de Temp. probè monuit, plenius idem verans Psal. 29. Enarrat. 1. & in Psal. 31. Enarr. 2. *ad versum ultimum*; Et in Psal. 32. Enarr. 2. *ad vers. 8.* Ac ne allatrare quidem & sollicitate pro libidine potest, sed quantum Deus pro sua sapientia finit. Qua ex causa Demones Satanæ succinturiati, dicuntur *latrones Dei*, iuxta S. Gregorij interpretationem lib. 14. Mor. cap. 21. qui eiusdem operis lib. 8. cap. 16. de hoc ceto, & mari carcere circumdato ne ad libitum erumpat, aliam perpulehram allegoriam concinnat. Quanta igitur nunc Satanæ est debilitas? Dictum Pelagij est, Epistola ad Demetriard. [Infirmus hostis est, qui non potest lædere nisi volentem.] Et alibi referente & approbante D. Augustino lib. de natura & gratia cap. 58. [Resistamus Diabolo, & fugiet. Vnde animaduertendum est, quid possit his nocere quos fugit, vel quam virtutem habere intelligendus sit, qui solis prævalere non resistentibus potest.] Subdit S. Augustinus. [Hæc, & mea verba sunt; verius enim dici non potest.] Hoc autem, ut tanta vis, sit in nos adeo imbellis, debemus Christi gratiæ, per quam contractus est malleus ille, & Satanæ virga comminuta; vulneratus superbus in brachio virtutis Dei, ut est in Psalmo 88. imo in infirmitate. Audi Isidorus Pelus. lib. 4. Epist. 150. [Queris, cur Paulus, relictis illis splendidis atque augustis, quæ de Christo annuntiabat, scripserit Corinthiis; *Non indicavi me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc Crucifixum.* Arbitror itaque, quia ipsa quoque illa, quæ probris plena videntur, maximo & robore & honore scatent. Idcirco eum ita dixisse, tantum non edita voce proclamantem; Vincitum athletam tunc in medium productum, ut posteaquam Olympia vicerit, elatori eum præconio ornem: Vilissimam & contumeliam plenam armaturam, duci militiæ circumdant, ut tanto magis gemat, qui morbo multitudinis Deorum laborat, ubi tam vilibus armis se victum senserit.]

Nihil igitur ab hoc hoste timendum nobis. Imo impugnando nos servit paci nostræ si que impletur illud, *bestia terra, pacifica erunt tibi;*

iuxta hanc B. Gregorij glossam 6. Moral. c. 21. [Notandum prius est, quod non ait; *parata*, sed *pacifica*, videlicet, non quia pacem habent, sed quia pacem faciunt. Hostes quippe callidi, dum insidiantur, affligunt; sed afflicta mens, tanto magis ad æternam patriam reditum diligit, quanto in hoc ærumnoso exilio, laboriosius vivit; & verius se gratiæ sui adiutoris humiliat, cum contra se insidias hostium aciores pensat. Terra ergo bestiæ, electis pacificæ sunt, quia maligni spiritus cum bonorum corda aduersantes deprimunt, hæc nolentes ad amorem Domini appellant. Inde ergo cum Deo robustior pax oritur, vnde nobis ab aduersariis durior pugna generatur.]

Illud duntaxat timeri iure potest, ne per focordiam nostram victoria in nihilum recidat, hostique resurgat. De quo egregie Isido. Pelusiotas lib. 2. Epist. 139. [Periculum est, inquit, ne ille, qui victus ac profligatus est, ob dissidia nostra collecto robore, acceptam cladem sarciat, victoriæque adipiscatur. Etenim ille quidem iacet, etiamsi audacia stolidè efferatur. At nostra ignavia, mutuumque bellum, nequos iacenti ac robur attulerunt, ita ut quantum quidem ad nostrâ focordiâ attinet, metuendum sit, ne præclarum illud facinus quod à Salvatore editum est, (etsi enim id dictum aude est, tamen quia verum est, dicitur,) prorsus pereat. Vnde etiam hoc fortasse, quod tibi exponi cupis per Psalmitam prædixit, his verbis utens, *Que virilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem;* hoc est ad hominum naturam multis corruptionibus obnoxiam? Etsi enim alia quoque nonnulla indicat (nam si moralem sensum spectes, de Davide; si naturalem, de Adamo intelligitur;) at ad hunc quoque scopum plerisque sanctis viris tendere visus est. Ego enim inquit, vsque ad me demissi, ut etiam, ob ingentem demissionem, multi ad credendum adduci nequeant, Tyrannumque subegi ac prostravi. Idque Seraphinorum spectator his verbis clamat; *Discite iustitiam facere, qui habitatis terram: compressus est enim impius.* Vos autem facinus omni spe maius, excellensque, atque omnem admirationem excedens trophæum, per inertiam vestram perdidistis.]

Victoria Christi de morse, altero hoste nostro.

1137 Sed neque timendum nunc post Christum, à morte, quæ propriè loquendo, non nisi obiectiue turbat pacem nostram, cum habet homo pacem in bonis suis. Est enim ei amara. At nunc per Christum, mors quæ in olla erat, condita est. Cum enim ante Christum, *essimus in carne, passionibus peccatorum quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti; nunc autem soluti sumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus,* ait Apostolus Rom. 7. considerans statum quem per Christi mortem consecuta est mors, nobis prius infesta. Quare nos scientes iam vitæ servisse, & ad vitam tendere, mortem corporis non horremus, eamque Christi beneficio pro mortua ducimus. Nec abs re, Ut enim Chrysologus serm. 40. scitè dixit, [perit mors ipsa, quæ perdebant omnes, dum omnium perdere vult salutem.] [Equod tandem illi congruum epithaphium

epithaphium canemus, (exclamat Naz. orat. 42.) mortem à Christo contritam celebrans; Vbi est mors stimulus tuus? Crux te prostravit; vitæ auctor tibi necem attulit.]

Inde verò luculentum, exungulata & prostrata mortis argumentum petere licet, quod ante Christi mortem, mors esset omnibus formidabilis & horrenda. At iam Christo mortuo, pueri & puellæ, morti insulant; eamque dirisui & ludibrio habent. Expendunt id Patres, ac suscipiunt frequentissimè. Produco nonnullos. Basilii orat. in calumniantes quod tres Deos dicamus. [Cruci fixus est volens, ut inuitè crucifixos detraheret. Mortuus est volens, ut inuoluntariè mortuos exsuscitaret. Suscepit quam non suscipiebat mortem, ut eos qui sub morte sunt, viuificaret. Deiorauit ipsum mors ignorans; vbi deuorasset, cognouit quem non deuorauit. Deiorauit vitam, deuorata est à vita. Deuorauit vnum cum omnibus, perdidit propter vnum omnes. Rapuit ut leo, confracti sunt dentes ipsius. Quapropter etiam, velut debilis contemnitur. Non enim amplius velut leonem timeamus, sed velut pellem conculcamus.]

Chrysostomus latè hom. 24. in 1. ad Cor. Et optimè quoque his præter cætera, Oratione de Paschate à Peltano Latine facta. [Hodiè mortis vincula, soluta sunt; hodiè inferni victoria, absorpta est. Aptè proinde, conuenientèrque hodiè prophetiam illam vocem depromimus. *Vbi est mors stimulus tuus? vbi est victoria tua inferne?* Hodiè Dominus noster Iesus Christus, aeneas portas confregit, ipsamque mortis personam aboleuit. Equid dico mortis personam sustulisse, cum ipsum quoque mortis vocabulum transfulerit? Neque enim animi à corpore discessus, mors amplius appellatur, sed dormitio, vel somnus. Sanè ante Christi aduentum, crucisque economiam, vel ipsum solum nomen mortis terrorem incutebat. Quare etiam primus homo, magni supplicij loco, eiusmodi sententiam audiuit; *Quicumque die comederis ex illo, morte morieris.* Quin & Beatus Iob quoque, quietis nomine mortem designat: *Mors,* (inquit,) *vir requies.* Propheta autem Dauid, peccatorum mortem, pessimam pronuntiat. Imò verò non modò diuulsio illa animæ à corpore, mortis vocabulo designatur; verum etiam inferni. Audi Patriarcham Iacob; *Deducetis canos meos cum mœnore ad inferos.* Audi alium de ea re vatem: *Infernus dilatauit animam suam.* Facit huc etiam illud Prophetae Dauidis; *Libera me ex inferno inferiori.* Mitto alia, nam vetus Testamentum, transitum ex hac vita hoc est, mortem, crebrè admodum infernum appellat. At quia Christus Dominus noster, semetipsum nostri causa in sacrificium obtulit, & ex mortuis denuò resurrexit, suæque resurrectione viam nobis ad resurrectionem manuit, pro sua elementia, ipsa etiam inferni & mortis nomina sustulit; nouamque & quodammodò extraneam politiam, in vitam induxit. Emigrationem namque ex mortali hac vita, dormitionem vel somnum, potius quam mortem appellandam existimauit.]

1138 Basilii Seleuciæ Orat. 32. sub finem, scitè omnino [Cur contra pericula discipuli pro Christo alacres armantur, & rerum aduersis lætantur? Cur Christus cum animi angustia crucem admittit, & pauid passionem antecedit?

Cur quia Christus in mortem viventem adhuc, expeditionem suscipit, congregatque nondum dissecta tyrannide. Adhuc enim iam inde ab Adamo, occupato in homines dominata, magnificè se iactabat mors. Christus morte crucidata, post futuris eam velut eneclam tradidit certamen. Idè ipse velut in viuentem parans impressionem, pro rei veritate se gerit. Apostoli verò morte deuicta, & veluti ingulata, & extremum expirante, bene multum animati eam inuadunt, ut Paulus prædicat; *Christus mortuus est, pro peccatis nostris secundum Scripturas, & sepultus est.* Examussum de scribit mortem. *Et resurrexit tertia die, & visus est Iacobo, deinde plusquam quinquies mille fratribus suis, ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt.* Non iam, *Mortui sunt.* Depacta namque cruce, somnus mors est: ante crucem formidabilis, & post crucem despicibilis. Et rursus: *Quod Iesus passus, & mortuus est, & resurrexit: ita & Deus, eos qui dormierunt per Iesum, adducet.* Christi finem, mortem appellat: bellum siquidem illi fuit contra mortem viuentem: aliorum, qui post Christum, somnum agnoscit, non mortem. Inde factum, ut viros pro religione concertare videamus, pueros mortem irrisui habere, puellas eam adire laudibus; quando Christus vitæ post mortem futuræ brauium protulit. Quare epiniciū cantant omnes; *Vbi mors victoria tua: vbi inferne stimulus tuus in Iesu?*

Itaque ut considerat Damascenus 4. fidei cap. 4. ante Christum, mortales etiam peccando grauissimè multarentur; peccatum nihilominus habebant pro numine. At post Christi mortem, & ipsam mortem, & penas omnes, pro peccatis nihili ducunt. Concinnè verò S. Bernardus serm. de Transitu S. Malachia, inceditatem mortis inuehitur; que tantum vitum sustulisset. Sed id ad ea, ut crudeliter, sic imprudentissimè post Christi mortem factum sic demonstrat. [Dira profectò & inexorabilis mors, quæ tantam hominum multitudinem vnus percussione multauit, cæca & improvida que Malachia ligauit linguam, impediuit gressus, dissoluit manus, oculos clausit. Illos inquam deuotos oculos, qui piissimis fletibus diuinam peccatoribus reconciliare gratiam conseruere. Illas mundissimas manus, quæ laboriosis & humilibus operibus exerceri semper amauerunt; quæ Dominici corporis hostiam salutarem, pro peccatoribus totiens offerebant, & sine ira & disceptationibus in oratione leuabantur in celum; quæ infirmis multa beneficia præstulisset, signis variis effuluisse noscuntur. Illos quoque speciosos gressus Euangelizantis pacem, Euangelizantis bona, illos pedes qui totiens fatigati sunt studio pietatis, vestigia illa digna quæ semper deuotis oculis premerentur. Sancta denique labia illa Sacerdotis, quæ custodiebant scientiam: os iustum, quod sapientiam meditabatur: & linguam eius quæ iudicium loquens, imò & misericordiam, tantus mederi solebat vulneribus animarum. Nec mirum fratres, inquam esse, quam generauit iniquitas: inconsideratam, quam noscitur seductio peperisse. Nihil inquam mirum, si ferit sine discretione, quæ venit ex præuicatione: si sit crudelis & fatua, quæ ex antiqui serpentis, fallacia & mulieris insipientia prodiit. Quid tamen causamur, quod Malachiam

chiam aulā sit attentare, fidele equidem membrum Christi; quando & ipsum Malachia pariter & omnium electorum caput, furibunda peruasit? Peruasit utique immunem; sed non immunis euasit. Impegit in vitam mors, & inclusit intra se vita mortem, & absorpta est mors à vita. Hamum sibi deuorans, inde teneri cœpit, vnde vīla est tenuisse.

1139 Idem pulcherrimè serm. 26. in Cant. describens mortem Gerardi fratris sui, inter cantandum Psalmum 148. sic scribit. [Accitus sum ego ad id miraculi; videre exaltantem in morte hominem, & insultantem morti. *Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus?* Iam non stimulus, sed iubilus. Iam cantando moritur homo, & moriendo cantat. Vsurparis ad lētiā, mater mororis; vsurparis ad gloriā, gloriæ inimica; vsurparis ad introitum regni, porta inferi; & fouea perditionis, ad inuentiōnem salutis; idque ab homine peccatore. Iustè nimirum, quia tu, iniquè in hominem innocentem & iustum, potestatem temeraria vsurpasti. Mortua es o mors, & perforata hamo quem incauta glutisti, cuius illa vox est in Propheta; *O mors ero mors tua. Morsus tuus ero inferni*. Illo, inquam, hamo perforata, transeuntibus per medium tui fidelibus, latum lētiūque exitum pandis ad vitam. Gerardus te non formidat, larualis effigies, Gerardus per medias fauces tuas transit ad patriam, non modò securus, sed & lætitudinis & laudans.]

Germana porò ratio, cur mors per Christum sit prostrata, colligitur ex Apostolo; quatenus Christum & Adamum opponit; quia sicut per Adamum mors, ita & per Christum resurrectio, mortuorum. Inde enim habetur, Christum liberasse nos à morte; & eius mortem fuisse, vt est apud Oseam c. 13. Non quasi temporalem mortem finis post Christum declinaturi; sed quia per temporalem mortem transimus in sempiternam vitam, interuentu resurrectionis quā Christus nobis est promeritus. Mors enim aliqui fuisse sempiterna. At per Christi mortem, & liberationem inde nobis impensam, facta est temporalis; eamque consequitur vita perennis, quæ mortem vincit victoriā in mortali, iuxta illud Apostoli 1. Cor. 15. *cum mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est, absorpta est mors in victoria*. Eam verò victoriā vitæ nostræ restituit supra mortem temporariam, habemus per Christum redemptorem & eius mortem, ac merita in ea nobis reposita. Vocatum præter cæteras, hac ex causā ab Oseā c. 13. Christum, *ventum vrentem*, obseruauit Gillebertus serm. 15. in Cant. exponens fructum terræ desertæ, quam dixerat esse Desiparam. [Vis audire (inquit), qualem hæc terra deserta dedit fructum? Osee te docet, qui dicit, *Adducet Dominus ventum de deserto vrentem, & desiccabit venas mortis*. Quis alius mortis desiccavit venas, nisi Christus Iesus, quem nobis intemerati ventris desertum refudit? Et benè ventus, quia spiritus ante faciem nostram Christus Dominus. Denique dictus est secundus Adam in spiritum viuificantem. Huius statu Apostolica nubes volant, quas Esaias miratur. Quid miror si *ventus* dicitur, quem & *nubem* legis? *Ascendet*, (inquit) *Deus super nubem leuem*. Nec hinc leuem, quasi vagam & instabilem accipias, sed leuitatis intelligentiam ad spirituales aptitudinem trahit, Theoph. Raynaldi de Attrib. Christi.

quod corpus incorruptibile nullam animæ granitatem attulerit, nec depresserit tertena commoratio sensum, multa imò cuncta cogitantem. An non quasi venti facti sunt, omnes qui spirituali leuitate à terrenis elapsi conuersionem sibi in cælo collocant? sed ipse speciali ratione ventus, qui reliquorum ambulat super pennas ventorum, & spiritum omnium virtutes excedit. Iure ergo *ventum* cum vocat; nominat & *ventum vrentem*, quod eius flatu, peccati sint in nobis frigora resoluta, & captiuitas nostra, conuersa tanquam torrens in Austro. Sic se habuit contritio præpotentis hostis, quem ab vbertate subditorum *pluuiæ*, siue *Pluionem*, id est *abundantem*, nominatum; & inter præpotentia, (scilicet,) numina recensitum, notat Eusebius orat. de laudibus Constantini ante medium.

Christi, de tertio hoste nostro, siue de peccato, victoria.

1140 Tandem neque à peccato periclitamur, post Christi victoriā est quidem peccatum, radix amaritudinis, & plus quàm fel & absinthium, suauitatem animæ excludit. Tamen per Christum, (si per nos non ster.) sublata est eius amaritudo; Ipsumque peccatum planè est abolitum, quod S. Paulus infinities iterat. Egregiè verò S. Augustinus q. 169. in Genesim, expressum notat à 70. non interpretationis seruitute, sed prophetica autoritate, vertentibus illud Ionæ 3. *adhuc 40. dies, & Ninive subuertetur*. Verterunt enim, *adhuc triduum, & Ninive subuertetur*; non quod ignorarent, quia in Hebræis codicibus legerentur 40. dies; sed quod prophetico spiritu, spectantes quid pertineret quadragenaria Niniuitarum penitentia, nempe ad exoracionem misericordiæ Dei, & peccatorum, quibus Deum prouocant abolitionem; agnoscetes 70. quod in eo typo singulariter factum erat, præstandum esse vniuersaliter omnibus per mortem Christi, quæ triduo tantum durauit; prophetice pro quadragena, verterunt triduum; quo peccati in Christi morte subuersionem significarent.

Video opponi posse, si Dominus peccatum sustulit, vnde nunc tot peccata? Idem sibi obiecerat Nyssenus Orat. de Natiuit. Christi Respondet verò in hunc modum. [Is qui hæc spectans sic obiecit, insigni peruulgatōque exemplo, quæstionem ipsemet soluat. Quemadmodum, cum serpentes interficiuntur, non continuò reliquas partes vnā cum capite mori videmus; sed, cum interierit caput, illæ tamen, adhuc vitam retinent, nec vitali priuantur motu: sic accidit in Draconis interitu. Etenim ingens cum esset admodum fera, quippe quæ singulis hominum atatibus excreuerat; qui multiplex eius caput, idest vim illam malorum inuentricem multa in se capita continet sustulit, cæterarum ipsius partium tractus neglexit, vt interfecta fere motum posteris ad exercitationis occasionem relinqueret. Ecquod igitur collisum & extractum est caput? Illud quod impio consilio mortem intulerat, quod morsu mortiferum homini virus iniecerat. Quamobrem qui mortis euerit impetium, vim quæ in capite serpentis erat, vt ait Propheta,

HHHh. confite

confregit: Reliqua verò pars corporis in genus humanum dispersa, quæ quoad homines vitiorum morionibus permouerentur, squama peccati vitam irritat, atque asperam reddit, potestate quidem iam mortua est, cum eius caput contusum atque inutile factum sit: at ubi tempus transierit, & ea quæ mouentur constiterint, adueneritque vitæ huius absolutio quam expectamus, tunc & cauda, & extrema pars inimici, mors ipsa nimirum destruetur, atque ita delebitur omnino cuncta malitia.]

1141 Nec minùs concinnè S. Bernardus, eandem obiectionem & quoad peccatum, & quoad Satanam, & quoad mortem elidit, sic differens sermone de transitu S. Malachia. [Victa planè mors opus Diaboli, & peccati pœna; victum peccatum, causa mortis, victus & malignus ipse, & peccati auctor & mortis. Nec modò victa sunt hæc, sed & iudicata iam & damnata: Definita quidem, sed nondum promulgata sententia est. Denique iam Diabolo ignis paratus, etsi nondum ille præcipitatus in ignem, modico adhuc tempore sinitur malignari. Tanquam malleus cœlestis opificis factus est, malleus vniuersæ terræ. Terit electos ad eorum utilitatem, reprobos conterit in eorum damnationem. Qualis ergo Paterfamilias, tales & domestici eius, peccatum scilicet & mors. Nam & peccatum, licet simul cum Christo cruci ipsius non dubitetur affixum, adhuc tamen interim non regnare quidem, sed habitare etiam in ipso dum viveret Apostolo permittebatur. Mentior si ipse ait, *Iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*. Sit & mors ipsa, minime quidem adhuc abesse cogitur, sed cogitur non obesse. Erit autem cum dicitur, *ubi est mors victoria tua*? Et ipsa quidem, inimica nouissima destruetur. Nunc verò moderante eo qui imperium habet vitæ & mortis, & mare ipsum certis littoribus cœtetur metis, mors ipsa dilectis Domini, somnus refrigerij est. Propheta attestante, qui ait; *Cum dederis dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini*. Pestissima quidem mors peccatorum, quorum & natiuitas mala, & vita peior, sed preciosa est mors sanctorum. Preciosa planè tanquam finis laborum, tanquam victoriæ consummatio, tanquam vitæ ianua, & perfectæ securitatis ingressus.

Non dissimiliter ratiocinatur Cartacusen. Apol. 2. [O quis viuet, cum fecerit hæc Deus. Ipse inquam Deus in carne nostra apparet. Verba sunt Balaami, extremam hostium Dei cladem. Per Christum prænoscentis, vt exposuit Orig. hom. 19. in Num. in fine, qui ibid. hom. 7. sub medium, insigniter prosequitur, pugnandum quoque nobis esse cum Gigantibus à Christo subactis, vt hæreditatem à Christo comparatam ineamus. Legendus insuper homil. 25. in eundem librum.

En igitur cui iure meritò acclamemus, *Victori, siue in finem*; qui titulus plerisque psalmis appositus, non leuem molestiam facessit Interpretibus; dum hinc aliqui secuti 70. legunt & exponunt, *in finem*. Inde alij, secuti S. Hieronym. & Hebræos codices quales nunc extant, legunt & exponunt, *Victori*; distrahunturque in varios sensus: quibus vt præiudicare consilium non est, ita commodè S. Basilus ad titulum Psalmi 48. censuisse videtur, vtramque lectionem eodem recidere: cum victoria per Christum parata de hostibus nostris, & finis per eundem ma-

lorum omnium auterruncum Christum statuentis ærumnis nostris, quando absorbebitur mors in victoria, depoſcat epinicion, & victorale carmen, victori qui de scipſo dixit, *ego vici mundum*. Et quanquam fateor S. Basilium agere de eo effectu victoriæ Christi, qui duntaxat obit, & Patti; tamen quia Christi victoriæ, in clausula prælij quod pro nobis inuit atque conficit, comparata est, & ius ad finem illum quo omnia Deo perfectè subſcipientur, partum est per eam Christi victoriæ; non immerito ad illam, tametsi nondum quoad omnes effectus suos plenè consummatam, extendimus victorales odas, quas iuxta S. Basilium præcini per factum Psalmem, in finem, *Victori* Christo tribuendum, edixit Spiritus sanctus.

Bellatores Christum sanctè emulantes, eius viribus, & exemplo victores.

1142 Accumulantur hunc Victorem, quot verè in eius militiam se proficiunt adscriptos, eiusque exemplo, Reges omnes aduersarios, vt à Mose præscriptum fuit Iosue, funditus extermiinant, donec plenam consequantur victoriam. De Regibus qui in nobis tenebant regna peccati; Satana inquam, & peccati ad quæ impellit, debitoque æternæ mortis inde conſequentæ, luculenter id exponit Origenes hom. 15. in Iosue, multis differens de regno peccati generatim in homine, & deque singularium diuersorum peccatorum regno, in variis singularibus hominibus, quos ait esse Reges peccati, iustos deleri donec plena de eis victoria obtineatur. Nec parciùs differit de Principibus tenebrarum, præfectis vnicoque vitio, de quibus item victoriam consequi iubemur. Ad quod ea cohortatione adscriptu dignissima, sic hortatur omnes Christi Victoris filios, homil. 8. in eundem librum. Agite ergo & vos præparemus nos ad huiusmodi prælia, percutiamus Hay in ore gladij, & extinguiamus omnes habitantes chaos, omnes contrarias virtutes. Vinam & ego modò dum loquor ad vos verbum Dei, cor peccatoris pulsare possim. Quod si fecero, certum est quod gladio oris mei percutiam fornicationem, percutiam malitiam, reprimam furorem & si quæ alia sunt mala, in ore gladij, id est oris mei sermone restinguam, & non relinquam ex eis qui salus fiat, neque qui effugiat. Si enim omnes hos hostes nostros extinxerimus, tunc verè diem festum celebrabimus Deo, & deuictis aduersariis læta solemnitate gaudebimus. Tale aliquid mihi videtur etiam à sancto Propheta in Psalmis designari, ubi dicit de se, in matutinis interficiebam omnes peccatores, vt disperderem de ciuitate Domini omnes qui operantur iniquitatem. Siue enim ciuitas Domini, Ecclesia Dei viuens accipitur, eiiciunt Doctores de Ecclesia, & interficiunt eos qui operantur iniquitatem, contrarios Dæmones, aduersarialque virtutes, qui cogunt homines ad peccatum, docendo, instituendo, & occultata in diuinis litteris ex locis talibus in qualibus nunc somus, mysteria referendo. Siue ciuitatē Domini vniuersaliq; nostrum animā intelligamus, quæ edificatur à Domino ex lapidibus viuis, id est ex virtutibus variis & diuersis, &c. Deinde sic prosequitur, *Fortassis nō mihi credas, quod aduersus peccatū inu-*

gitur nobis pugna. Paulo crede dicenti. *Non-
dum usque ad sanguinem restitisti aduersus pec-
catum.* Vides tibi aduersus peccatum pugnam
proponi & usque ad sanguinis profusionem,
istud tibi praelium consummandum? Aut non
evidenter hæc indicat scriptura diuina, & in iis
in quibus moris est ei dicere, *sanctificare bel-
lum.* Et, *pugnabis pugnam Domini?* Quid enim
est aliud sanctificare bellum, nisi interemptis
omnibus animæ nostræ hostibus, qui sunt vi-
tia peccatorum, & mortificatis membris quæ
sunt super terram, atque omnibus malis cupidi-
tatibus amputatis, effici sanctum corpore &
spiritu, & fortiter facientem venire ad conspè-
ctum Dei viuentis, & pro palma victoriæ, vir-
tutis merito coronari à Christo Iesu Domino
nostro?

1143 Breuius at non minùs efficaciter
hom. 9. in *Genes. in fine.* [Sed dico: nunquid ini-
quitate vltus est Dominus, vt eriperet gentes
de potestate aduersariorum, & ad fidem suam
deditionemque reuocaret? Nequaquam, Erac
enim aliquando pars Domini Israel. Sed quia
peccatis recesserant à Deo suo, propter peccata
sua dixit ei Deus; *Ecce peccatis vestris distrahi
estis, & propter peccata vestra dispersi estis sub
vniuerso celo.* Sed iterum dicit ad eos. *Si fuerit
dispersio vestra ab extremo celi, usque ad extre-
mum eius, inde congregabo vos, dicit Dominus.*
Quia ergo principes huius mundi inuaserant
partem Domini, necesse habuit pastor bonus,
relictis in supernis nonaginta & nouem, des-
cendere ad terras; & vnam ouem quæ perierat
querere, inuentamque & humeris reuectam, ad
supernum perfectionis ouile reuocare. Sed quid
mihi prodest si semen Abraham qui est Chri-
stus, hereditate possideat ciuitates aduersario-
rum, & meam ciuitatem non possideat? Si in
mea ciuitate, hoc est, in anima mea, quæ est ci-
uitas Regis magni, neque leges eius, neque insti-
tuta seruentur? Quid mihi prodest, quod vni-
uersum mundum subiecit, & aduersariorum ci-
uitates possidet, si non & in me aduersarios
suos vineat; si non destruat legem, quæ est in
membris meis repugans legi mentis meæ, & ca-
ptiuum me ducit in lege peccati. Sic ergo vnus-
quisque nostrum satis agat, vt & in sua anima,
& in suo corpore vineat Christus aduersarios
suos, & subiciens eos, ac triumphans, etiam suæ
animæ possideat ciuitatem. Hoc enim modo
de parte eius efficitur, de parte meliore quæ
est sicut stellæ cæli in claritate, vt & nos bene-
dictionem Abraham capere possimus, per Chri-
stum nostrum, cui est gloria & imperium in se-
cula seculorum. Amen.]

Hunc fuisse scopum assumptæ trabecæ carnis,
insigniter aperit Gelasius Papa in opere quod
inscripsit, *Disla contra Pelagianos* ante medium
[Auctor bonus (inquit,) vt bonum se opus con-
didisse firmaret, si in eadem sui conditione per-
sisteret, inferioris creaturæ suæ miseratus offen-
sam, quod spiritualis substantia, quæ & sui &
alterius processerat, ipsa deceptrix atque in sua
nequitia perseverans omnino consequi digna
non fuerat, terrenæ conditionis & per fraudem
deceptæ substantiæ, naturam pariter elementer
suscepit & causam: sicque vt nunc breuiter ex-
plicemus, competenti lapsam dispensatione re-
parare proponens, vt in seipso hæc eadem na-
tura, qua per inobedientiam mortis rediret ad

Theoph. Raynaldi de Attrib. Christi.

vitam, solus ipse peccat in se sciens in substan-
tia, quam post peccatum restaurandam potenti
benignitate suscepit, vt indebitam mortem
quam sine peccato vtrique non debebat, pro his
qui per peccatum debitores mortis extiterant,
imputaret. simulque Diabolum hominis decep-
torem, qui consuetudinem sibi subactum per di-
uinam tenebat iure sententiam, per iustitiam,
nihil ei reddere iam debentem. Et cum occidi-
set eum in quem sine peccato licentiam non
habebat, merito ei vice mutua subiugaretur ad-
dictus; quique se humanæ substantiæ vt potè
captivæ suæ, Dominum Deumque iactabat; huic
& iusto pariter & Deo, mutua vice subderetur.
Intererat enim aequitatis immensæ, & non
abruptæ diuinæ potentæ, Diabolus, sed ipsius
hominis etiam quem se prostrauisse iactabat
iustitia vinceretur: quibus non satis habuit re-
parator excelsus, vt ipse tantummodò in ea na-
tura quam sumperat, gereret de hoste huma-
ni generis hoc triumphum. Quid enim præsta-
retur, vniuersæ nostræ creaturæ, si victore Dia-
boli solus Christus existeret. Tribuit ergo fide-
libus suis dignanter immensa pietate confor-
tium. Tribuit per gratiam suam fidemque col-
latam, vt hominum millia ineffabilis compen-
dio sacramenti participatum eius acquirerent,
renouatæque in suo Salvatore naturæ facti con-
similes, ipsi quoque saluatoris deceptoris sui mu-
tata forte victores.]

Specimen huiusmodi pugnantium Chri-
sti, fuere Apostolorum principes, quos ex strage
in impiis edita, & de cruore occisorum, esse
purificatione diuina mundatos, Orig. hom. 25.
in Num. in fine, egregie tradit, cum varia purifi-
cationum genera à Mose proposita, discussisset.
[Quis nobis (inquit,) enarrare, poterit, quæ
sunt purificationes, quæ parentur Paulo, vel Pe-
tro, vel aliis horum similibus, qui tantum pu-
gnauerunt, tot gentes barbaras deleuerunt,
tot hostes prostrauerunt, tanta spolia, tot
triumphos ceperunt; qui cruentis manibus de
cade hostium redeunt, quorum pes tinctus est
in sanguine, & manus suas lauerunt in san-
guine peccatorum? Interfecerunt quippè in ma-
tutinis, omnes peccatores terræ, & imaginem
eorum exterminauerunt de ciuitate Domini.
Vicerunt quippè & peremerunt diuersas Dæ-
monum gentes. Nisi enim vicissent eas, non
potuissent capere ex eis captiuos, omnem hunc
credentium numerum, & perducere eos ad obe-
dientiam Christo, & subdere eos iugo eius sua-
ui, & imponere eis onus eius leue. Quis ergo ita
beatus est, qui succedat eis in his præliis, & in-
terficiat omnes Madianitas, & iustificetur ex
sanguine eorum? Sanguinem enim Daemonum
fundere dicitur, qui eripit eos quibus illi domi-
nantur; Lauabitur autem hoc sanguine, &
purificabitur in regno Dei, vt purificatus &
mundus effectus, possit ingredi sanctam ciui-
tatem Dei: aperiente sibi ostium Chri-
sto Iesu Domino nostro, imo
qui est ostium ciuita-
tis ipsius
Dei.]

vsu doctrina, de Christo Bellatore atque Victore.

1144 Per nos quoque, vult Christus vincere. Nam & ex Deo nati sumus. Omne autem quod natum est ex Deo, vincit mundum, ut scilicet sicut Christus primogenitus in multis fratribus; mundum, id est tres turmas quas fecerunt Chaldaei, interprete S. Bernardo, scilicet. 1. in Octava Paschae, ductore Satana in nos irruentes, deuicit; ita & filij adoptionis, idem praestent. [Quotquot enim sunt Christi, (praemiserat eius sermonis initio, S. Bernardus,) cum Christo eos mundus odit, sed cum Christo superatur pariter & ab ipsis. Nolite (ait) mirari si odit vos mundus: sciote quia priorem me, vobis odit habuit. Et item, Confidite, (inquit,) quia ego vici mundum. Sic nimirum manifesta fit sermonis illius veritas, quem ait Apostolus; Quos praesciuit, inquit, haud dubium quin Deus Pater,) & praedestinavit conformes fieri imaginis filij sui. Vide conformationem. Post ipsum adoptantur, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus: post ipsum odit mundus eos: post ipsum & ab eis vincitur mundus. Bene ergo, quod natum est ex Deo, vincit mundum, ut sit testimonium celestis generationis, victoria tentationis: & sicut is qui filius est per naturam, mundum cum suo principe triumphauit; sic & nos victores inueniamur, quotquot sumus filij adoptionis. Victores sane, sed in ipso qui confortat nos, in quo & possumus omnia: quia haec est victoria qua vincit mundum, fides nostra. Fide siquidem in Dei filios adoptamur, fidem in nobis mundus in maligno positus odit atque persequitur; fide quoque & vincitur, sicut scriptum est; Sancti per fidem vicerunt regna. Quidni attribuat fidei victoria, cuius est etiam vita? Iustus, (inquit,) ex fide vivit. Quotiens ergo tentationi resistis, quotiens vincis malignum, noli propriis tribuere viribus, noli in te, sed magis in Domino gloriari.]

Ex hoc capite summam suam potentiam prodere velle Christum, observauit Orig. hom. 7. in Num. sic obliuiscens, egregiam de spirituali certamine & interno bello disputationem. [Vult (inquit,) semper Iesus, res mirabiles facere, vult de locustis vincere Gigantes, & de iis quae in terris sunt coelestes superare nequitas. Et fortasse hoc est quod dicebat in Evangelio; quia qui credit in eum, non solum faciet ea quae ipse fecit sed maiora, (inquit) horum faciet. Verè enim mihi maius videtur, quod homo in carne positus, fragilis, & caducus fide tantum Christi, & verbo eius armatus, superet gigantes Demonum legiones. Quamuis ipse sit qui vincit in nobis, plus tamen esse dicit, quod per nos vincit, quam quod per te vincit. Tantum est ut nos armis istis semper simus armati, & conuersatio nostra semper in caelis sit. Omnis motus noster, omnis actus, omnis cogitatio, omnis sermo, coelestis sit. Quanto enim nos illuc ardentius ascendimus, tanto illi praecipitantiùs ruunt; & quanto magis augemur, tanto illi inferiores fiunt. Vita nostra si sancta sit, si secundum Deum sit, illis confectet mortem. Si signis & luxuriosa sit, potentes eos aduersum nos & gigantes faciet. Quanto ergo nos virtutibus crescimus, tanto illi inferiores efficiuntur &

fragiles. Sicut è contrario, si nos infirmemur, & terrena requiamus, illi fortiores fiunt. Et quanto nos dilatamur in terris, tanto illis spatia in coelestibus largiora concedimus. Vide hoc magis agamus, ut nobis angelicis illi minuantur, nobis ingredientibus illi pellantur, nobis ascendentibus, illi cadant: sicut & ille cecidit, de quo dicit Dominus in Euangelio; Ecce vide Satanam sicut fulgur cadentem de caelo: ut illis proiectis, introducat nos illic Dominus noster Iesus, & percipere regnum suum coeleste concedat.]

S. Athanasius, mirabilem hunc victoriarum Christi effectum suspexit, quod etiam aetas infirma, Satanam, eiusque satellitem, habeat ludibrio. Sic igitur philosophatur Athanasius orat. 1. contra Arianos. [Iam olim ex quo de ceperat primum hominem Adam, petulatus omnes sese homines in sua ditione habitum, ferociter insultabat dicens; Ego vici sum orbem terrarum mea manu velum nidum comprehendam, & ut oia relictia tollam, nec erit qui aufugiat, aut obloquatur mihi. Ceterum qui antea orbem terrarum se comprehensurum iactauerat, post aduentum Domini, iam experimento doctus, quid Dominus in rebus humanis ageret, quam non posset eam quam Dominus gestabat carnem fallere, domitus fractusque, iam inde, etiam à pueris veluti pascenculus, superbus ille pro ludibrio habetur. Puer enim infans, inferens manum suam super linguam aspidum, deridet eum, qui Euam de ceperat; & omnes qui legitime in Christum fiduciam habent, pedibus conculcant eum, qui hac verba locutus est; Ponam solum meum supra nubes, ascendam & similis ero Altissimo. Et hac quidem contumelias, ille patitur.]

Cauendum duntaxat, ne hostis quem Christus victor prostrauit, nostris dissidiis resurgat, & victoriam adipiscatur de victoribus, quod Isidorus Pelaf. l. 2. Epistola 139. ut iam reuili admonet Hermogenem Episcopum in Christi persona. Videndus idem argumentum versans in persona sua ibidem Epistola 164. Rufus autem, l. 4. Epistola 64. quam probrosum sit Christianis, vinci post Christi victorias, pulchre demonstrat.

CAPVT XV.

Christus Redemptor, Liberator, Seruator, salutare, salus, saluatio.

1145 **N** I H I L in Scripturis, & Patribus vsque communi Christianorum decantatus, quam Christum esse Redemptorem nostrum, qui est effectus victoriae de qua proximè. Nam & Iob cap. 19. tanto ante Redemptorem suum vinere contestatus est; & Iaias c. 63. de eodem dixit, Redemptor noster à saeculo, nomen eius. Interdum tamen in abstracto dicitur redemptio, ut apud Apostolum 1. Cor. 1. vbi Christus dicitur factus esse nobis redemptio. Et Psalm. 110. vbi Deus